



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Triapostolatus Septemtrionis**

**Caesar, Philipp**

**Coloniæ Agrippinæ, 1642**

13. Præfatio S. Ansgarij in Miracula S. VVillehadi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

*Tempus B-  
piscopat us  
sus.*

terrenus ignis non valeret. Creatura enim Creatoris subiecta imperio, etiam vim naturæ perdit, cum iussum dominantis attendit. Nec potest aliquid detrimenti quanuis naturâ dictante perficere, cum vis vniuscuiusque naturæ in Creatoris pendeat omnipotentissima voluntate. Mansit autem in Episcopatu Beatus VVillehadus electus Domini Pontifex annis duobus, mensibus tribus diebus 26. & paracto boni certaminis cursu feliciter migravit ad Dominum: cui est honor, & gloria, & potestas, & imperium, per infinita secula seculorum. Amen.  
*Explicit Vita S. VVillehadi Episcopi: Incipit de Miraculis ipsius.*

## CAPVT. XIII.

*Prefatio S. Ansgarij in miracula S. VVillehadi.*

*S. Ansgari-  
us Scriptor  
Vite Sancti  
VVillehadi.*

**D**ono Omnipotens Dei, qui gratuita pietatis suæ præordinatione, quosque in Ecclesia Sancta Pastores constituit ac Doctores, Ansgarius Bremensis Ecclesiæ Præsul, vniuersis per orbem concordie fraternitate degenti fidelium societati, pacem & beatitudinem in Christo orat sempiternam.

Laudes Dei quas Sanctorum eius acta miranda testantur, non debere silentio præteriri, multotiens iam exemplis Patrum addiscimus; qui plurima eorum quæ Domini pietas per Seruos suos in hoc exercuit

cuit seculo, studiosius literis commenda-  
 uere. Quæ non solum uiuentium religiosam  
 portenderent Sanctitatem, verum etiam  
 perenni vita cum Christo regnantium in  
 mortalem præmonstrarent gloriam. Re-  
 uerâ enim qui hinc translati, adhuc tamen  
 miraculis & diuersarum ope virtutum hinc  
 populis adesse cernuntur, magnam no-  
 bis suæ glorificationis dignitatem osten-  
 dunt, & quanti apud Deum sint meriti,  
 luce clarius fidelium patefaciunt cordibus.  
 Sed & magnum Catholicæ in hoc fidei  
 declaratur indicium, dum quod inuisibi-  
 liter diuina peragit sublimitas, ac si oculis  
 conspiciat, iudubitanter cœlitus factum  
 Christiana non diffidit credulitas. Et San-  
 ctorum acta deputat meritis, quæ in eis  
 sunt locis, vbi sacratissimæ eorum conditæ  
 & habentur & venerantur reliquiæ. Quia  
 licet solus sit omnipotens Deus Israël, qui  
 dat virtutem & fortitudinem plebi suæ,  
 tamen mirabilis ipse in Sanctis suis prædi-  
 catur & colitur; quorum precibus fit ac  
 meritis, vt prodigia & signa Maiestas ope-  
 retur diuina. Nec tamen solummodò ibi  
 Sancti prodesse cernuntur, vbi tempora-  
 liter in cineribus suis ac reliquijs præsentem  
 fore videntur: Verum vbicunque fideliter  
 inuocati, per eum qui vbique præsens est  
 potentiâ & maiestate Creatoris meritum  
 ipsorum remunerantis, in omni loco do-

minationis eius fidelibus suffragari creduntur. Quod multis iam & evidentibus sæpius patefactum constat remedijs: quia plurimi sive inter tempestates ac procellas fluctuum, seu inter alia quoque discrimina positi, ad inuocationem cuiuslibet Sancti, subito se diuinitus senserunt adiutos. Vnde si qua Dominus per Sanctos suos miranda dignatus fuerit operari, iure ad noticiam plurimorum, vt posteris in memoria maneat spei, quod priores ob gratiam perceperunt fidei. Quapropter nostra quoque humilitas ea, quæ in diebus nostris per potentiam diuinæ operationis ad ostendenda merita Beati Pontificis & Confessoris VVillehadi patefacta claruerunt, literis indagare censuit; vt quæ in antiquis olim venerata iure prædicauimus Sanctis, nunc in temporibus nostris ab eo qui huius nostræ, Bremensis videlicet Ecclesiæ, primus exiit Pontifex innouata, toto cordis gaudentes annis, suscipiamus pariter ac collaudemus miracula. Non n. immemor Deus adhuc populi sui deseruit quos redemit; verum inter innumera paganorum infestantium discrimina, omni penè solatio destitutus hanc supernæ visitationis voluit impendere gratiam, vt de diuina multò certius præsumerent Clementia, qui tantum tamque Deo acceptum Patronum, in spiritu velut & in corpore secum mane-

manere cognouissent, nec timerent licet vastatam denuo inhabitare patriam, in qua sibi adesse Sanctissimi Patris non diffederent merita: immo læti desertas repperent sedes, quos licet hostilis incurfio fecerit exules, bonis exuberantes diuina rursus reconciliauerit benignitas. Nec desperent sibi præfida Sancti in omnibus affutura, cuius virtutem tam multiplicem in sanandis variè vexatorum senserunt flagrare corporibus.

## CAPVT XIV.

*Tempus miraculorum.*

*S. VVillehadi.*

**A**Nno itaque incarnationis Dominicæ DCCCLX. Regni verò Domini nostri Serenissimi Principis H Ludouici XXVIII. Indictione VIII. in Ecclesia Bremensi cœperunt diuinitus agi miracula, & de die in diem semper multiplicius crescere, ita vt iam longè lateque per populos rumor increbresceret plurimus, verè diuinam in eodem loco apparuisse gloriam, & merita Beati VVillehadi in eadem Basilica requiescentis honorabili virtutum flore pullulare. Quæ cum per multorum ora volutarentur, & tam in præfentiâ nostri, quàm etiam absentibus nobis, publicè multi ibidem sanitatis adipiscerentur commoda; decreuimus hæc